



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

3. Cùm dudum fel. &c. Breve Innoc. XII. quô firmat privilegia Sabaudiaë Ducum: anno 1700. In responis de Privilegio à Nicolao V. Ludovico Sabaudiaë Duci concesso impressis Coloniaë Agrip. an. 1712.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1699.

privilegiata causa, colore, pretextu, & Capite etiam in corpore Juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae defectu notari, impugnari, restringi, limitari ad viam, seu terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris facti, vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio concessa quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, ac ab omnibus & singulis praedictis & ab aliis, ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit, cujuscunque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus, & conditionis extiterint, perpetuo & inviolabiliter observari; sicque per quoscunque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, nec non Curiae, & Urbis praefatarum judices, Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quavis autoritate, & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter Judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere, ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa universis & singulis locorum Ordinariis per quaecunque Provincias, & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusvis nostris & Sedis Apostolicae etiam de latere Legatis, ac Vicelegatis praecipimus & mandamus, ut in suis quisque Civitatibus, Diocesis, Provinciis, & locis praesentem nostram Constitutionem publicari, & inviolate observari curent, & adversus contravenientes, sive Clericos, sive Laicos quacunque dignitate fulgentes, tanquam invariantes, & infamantes Curiam Ecclesiasticam Romani Pontificis, sive etiam Capitulares, servata forma à Concil. Trid. praescripta, immo etiam cujuscunque Ordinis, aut Instituti etiam necessario exprimendi Regulares, aut alias quomodolibet exemptos, & contra Abbates, sive alios quoscunque Praelatos jura quasi Episcopalia habentes cum territorio separato, ii, qui viciniore fuerint, tanquam nostri & Sedis Apostolicae in hac parte specialiter delegati per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque culpabiles repertos condignis poenis, ut supra afficiant, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio Brachii Saecularis.

Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, ac ceteris nostris, & Cancellariae regulis, aliisque Constitutionibus; & ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, nec non earundem Urbis, & Curiae, earumque Tribunalium, & alius quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut alia quavis firmitate roboratis statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ser-

vanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene & sufficienter expressis, insertis & servatis respectivè habentes, illis aliàs suo robore permanentibus ad praemissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem eadem praesentes literae omnibus innotescant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illae, seu earum exemplum ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Datariae nostrae, Curiae generalis, & Cancellariae praedictae, nec non in acie Campi Florae de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, prout moris est, publicentur & affigantur, quae sic publicatae & affixae omnes & singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Quodque illarum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, restitutionis, reintegrationis, decretorum, declarationis, statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, praescripti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo nono, tertio Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno nono.

B. Card. Prodatarius. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia C. A. Fabronus

Phil. Porta.

Registrata in Secretaria Brevium.

Loco † Plumbi.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo septingentesimo, Indictione octava, die vero octava Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina providentia Papae XII. Anno nono: Supradicta litera Apostolica affixa, & publicatae fuerunt ad valvas Ecclesiae S. 10. Lateranensis, Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, Curiae Innocentiae in Monte Citorio & in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me 10. Philippum Castigliam ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papae Cursorem.

Decius de Camillis Magister Curforum.

Breve Innoc. XII. quò firmat privilegia Sabaudiae Ducum: anno 1700. In responsis de Privilegio à Nicolao V. Ludovico Sabaudiae Duci concessio impressis Coloniae Agrip. an 1712.

Ad Futuram rei memoriam.

Cum dudum fel. record. Nicolaus Papa V. Praedecessor noster, tunc in humanis agentem Ludovicum, dum vixit Sabaudiae Ducem, specialis favore benevolentiae prosequi volens, ut omnem ei tol-

ANNO  
1699.

III.

ANNO  
1724.

leret suspicionis causam, ne ex promotione quorumvis ad quorumcumque Ecclesiarum, vel monasteriorum infra districtum sui temporalis Domini consentientium regimina, seu provisionibus quibuscumque quibusvis dignitatibus dispositioni Apostolicæ reservatis, inibi consentientibus, quibuscumque Personis, per ipsum Nicolaum Prædecessorem faciendis, statui suo succederet dependium, aut alia quævis adversitas intestina Præfatum Ludovicum Ducem per quasdam suas Literas certum reddiderit, eique promiserit, quod ipso & Dominio hujusmodi, in integritate obedientiæ sedis Apostolicæ persistentibus, ad quorumcumque metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum regimina, aut dignitates Abbatiales infra districtum prædictum neminem præficeret, seu illis de quorumcumque personis non providisset, nisi habitis prius per eam intentione, & consensu ipsius Ludovici Ducis de personis idoneis ad regimina, seu dignitates Abbatiales hujusmodi promovendis, vel de quorum personis tales provisiones fuissent faciendæ, & alias prout in præfatis Nicolai Prædecessoris literis de super anno Incarnationis Dominicæ 1451. quarto Idus Januarii sub plumbo expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, & inserto habere volumus uberius dicitur contineri. Et subinde felicem. Leo X. Clemens VII. Julius III. Gregorius XIII. & Clemens VIII. Romani Pontifices, etiam Prædecessores nostri, per suas pariter sub plumbo expeditas literas, quarum tenores præsentibus iidem habere volumus pro expressis, prædicti Nicolai Prædecessoris literas sub certis modo, & forma tunc expressis, confirmaverint, & approbaverint.

Novissimè vero exortum fuerit dubium, an memorati Nicolai Prædecessoris Indultum, ejusque literæ præfata, ubi de districta temporalis Domini dicti Ludovici Ducis mentionem faciunt, etiam Citramontanas ipsi Ludovico Duci tunc subjectas ditiones comprehendant. Hinc est, quod nos, qui æqui, bonique assertores in terris à Domino constituti sumus, dubium hujusmodi secundum Justitiæ regulas dirimere ac ea, quæ à sede præfata ad sublimium Principum orthodoxæ Fidei defensorum, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentium favorem emanasse noscuntur, illibata conservare cupientes, de nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curie Prælatorum, qui iussu nostro dubium prædictum maturè discussissent, consilio: prædicti Nicolai Prædecessoris indultum, ejusque literas hujusmodi, etiam citramontanas, eidem Ludovico Duci tunc subjectas ditiones comprehendere auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus. Decernentes easdem præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque & non aliter in præmissis per quosque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfata Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ sedis nuncios, aliosque quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes & functiones subblata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis: nec non omnibus,

& singulis illis, quæ in prædictis Nicolai, aliorumque præfatorum Prædecessorum literis respectivè concessa sunt non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris Die 3. Julii M. DCC. Pontificatus nostri anno nono.  
*J. Franciscus Cardinalis Albanus.*

ANNO  
1724.

## BENEDICTUS XIII.

PONTIFEX CCXLIX.

ANNO DOMINI MDCCXXIV.

**B**ENEDICTUS XIII. Vincentius Maria Urfinus, antea dictus Patricius Neapolitanus, ac Venetus. Natus est 4. Nonas Februarii anno 1649. ex Urfinorum Familia, quam duodeviginti sanctitate præstantes viri, Pontifices quatuor Stephanus III. Paulus I. Cælestinus III. Nicolaus III. illustrarunt. Venetiis Prædicatorum Ordini nomen dedit. Sacris Concionibus operam navavit. Bononiæ cum degeret vigesimum tertium ætatis annum agens à Clemente X. S. R. E. Cardinalis renunciatus est. Tres administravit Ecclesias, Spontinam, Cæsanatensem, postremò Beneventanam. Tandem Pontificiis comitiis IV. Kal. Junii anni 1724. concordibus suffragiis ad Petri sedem fuit evehctus; Anno 1725. Jubilæum ordinarium decimum-seximum celebravit. Creavit 29. Cardinales. Obiit Romæ 21. Februarii an. 1730. sedit V. annos, Menses 8. Dies 24.

De beato Laurentio Justiniano, Canonico seculari Congregationis sancti Georgii in Alga ultimo Episcopo, & primo Patriarcha civitatis Venetiarum, per Alexandrum VIII. Pontificem Maximum Sanctorum Confessorum Pontificum canonici adscripto.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei ad perpetuam  
rei memoriam.*

**R**ationi congruit & convenit æquitati, ut quæ olim Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum unanimi eorum consilio communicato, sanxit & definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum literæ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Patris æterni filius Redemptor noster conditionis humanæ gloriam peccatis obrutam conspicatus, assidue providere non cessat, ut propterea in exilio positos ad libertatis patriam per famulos suos, signis ac virtutibus claros, revocet. Hoc tribus ab hinc sæculis & eo amplius per beatum Laurentium Justinianum maxime egit, qui, pontificali apice inclytus, non solum Venetiis suis atque Italis universis, sed toti, quaqua patet, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpiciua vitæ sanctimonia &

I.  
Consilia Romanorum Pontificum de beato Laurentio Justiniano in Sanctorum canonem referendo.

mira-